

*SERENISSIME DUX,
DOMINE CLEMENTISSIME.*

Permitte servo Tuo, qui in umbra
Academica vitam degit, ut Te Prin-
cipem, Augusto imperio præditum,
ad literarias operas spectandas in-
vitare queat. Neque enim, dum in excel-
so ætatem agis, Musarum officinas fastidire
soles. Neque animam Tuam sublimem ita
occupare possunt regiminis secularis nego-
tia, ut non ea quoque, quæ ad scholas, præ-
sertim τῆς Θεοσεβείας, pertinent, in partem
curarum veniant: quando Tuis auspiciis non
minùs, quàm cæterorum SERENISSIMO-
RVM NVTRICIORVM, Academia hæc florem
suum ac felicitatem se debere, quotidie pro-
fitetur. Redeunt per Te in lucem, & novò
velut spiritu animantur, veterum ac præstan-
tissimorum Ecclesiæ Doctorum vasta volu-
mina: quæ Tuæ quoque pietatis ac μεγαλο-
πρεπείας monumenta futura sunt, ære pe-
renniora, & nec innumerabili annorum se-
rie diruenda. Ego verò, qui nec laudem in-
genii, neque amplitudinem eruditionis ac
meritorum, nec molem scriptorum illorum
assequi possum; præsentem tamen libellum
TVÆ SERENITATI, DOMINE, offero;
non quò mereri me quicquam posse, confi-
dam: